

liare; sed ἠνεχόμεν, quod Sophocli, Aristophani et Platoni obtrudere conatur Piersonus ad Mœrin p. 176. Brunckio assentiente, mera est barbaries. Aldus et membranæ ἠνσχόμεν, Scholia vetera ἠσχόμεν. Codices quidam ἰσχόμεν, satis recte, nisi rectius præberet Eustathius ἔσχόμεν ad Il. E. p. 529, 18 = 400, 52. Nimirum, cum semel ἰσχόμεν in ἠσχόμεν, quod pro varia lectione præbet Eustathius, corruptum esset, inde provenire ista portenta, ἠσχόμεν, ἠνσχόμεν, et quid non? Aristophanis versus mendosus est. MSS. aut ἠνσχόμεθα aut ἠνειχόμεθα habent, quanquam silent Brunckius et Invernizius, qui e Kusteri interpolatione ἠνεχόμεσθα retinent. In Platonis Charmide p. 162. D. HSt. ἠνέχετο merum est editionis Francofurtanæ typographi erratum qui simplicem χ literam pro nexu χ posuerit. Ceteræ enim omnes recte ἠνέσχετο.

(E) Cum de hac quæstione tot aliæ pendeant, visum est rem paullo altius repetere, et præcipuas versuum iambicorum, trochaicorum, et anapæsticorum leges semel memorare.

Senarius iambicus, sive trimeter, ut notum est, sex iambis, si priori nomine uteris, constat, tribus metris, sive dipodiis, id est, diiambis, si posteriori. Et hic est perfectus senarius, vel trimeter.

Πάλαι κυνηγετοῦντα καὶ μετρούμενον.

Ἵπεξέπεμψεν οὔτε γὰρ φέρειν ὄπλον.

Sed cum res esset immensi operis, et certe ab isto versuum genere, quod sermonem quotidianum quodammodo exprimere debebat, alienissima, puros sena-